

veteres configebant, ut suprà nos aliquid timeremus, Soirantque *ii*, quibus innocentia nisi metu non placet, in tanta audacia scelerum aliquid esse, adversum quod nemo sibi satis potens videatur. Eosque, qui hodie in rerum culmine, sive curculo essent, cras in tumulo esse posse, atque adeo omnem animi tumorem deponere debere, ut idem Seneca (*b*) in Tragediis iterum monet, sic inquiens:

*Vos, quibus Rector maris, atque terrae
Jus dedit magnum necis, atque vita,
Ponite inflatos, tumidosque vultus,
Quicquid à nobis minor extimescit,
Major hoc wobis Dominus minatur:
Omne sub Regno graviore Regnum est.*

Et Ovidio (*c*)

*Nihil ita sublime est, supraque pericula tendit,
Non sit ut inferius, suppositumque Deo.*

19 Quæ sanè terrena, ac temporalia hominum Regna, tantum abest, ut quicquam de sua dignitate, vel duratione ob hanc, quam suademos, in divinum, submissione diminuant, ut potius hinc suam auctoritatem, consistentiam, atque incrementum petere debeant, ut de Romanis loquens dixit Horatius (*d*), sic canens de Roma:

*Dii te minorem quid geris, imperas;
Hinc omne principium: buc refert exitum.*

Et graviter momit Valerius Maximus (*e*) inquiens: *Sacris imperia servire debere ita se humana regum futura regimen existimantia, si divine potentiae bene, atque constanter fuerint famulata.*

20 Quem locum expendens, & extendens D. August. (*f*) magis adhuc ad rem, de qua agimus, inquit, Reges tum demum felices dici posse: *Si justè imperant: si inter linguis sublimiter honorantur, & obsequia nimis humiliter salutantur, non extolluntur, sed se homines esse meminerunt: si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum Majestati ejus famulam faciunt: si Deum timent, diligunt, colunt. Si plus amant illud Regnum, ubi non timent babere consortes: si tardius vindicant, facile ignoscunt. Si eandem vindictam pro necessitate regende, tuendaeque Reipublica non pro saturandis inimicitiarum odios exerunt: si eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent. Si quod asperè coguntur plerunque decernere, misericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compensent: si luxuria tanto est eis castigator, quanto posset esse liberior: si malunt cupiditatibus pravis, quam quibuslibet gentibus imperare. Et si haec omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloria, sed propter caritatem felicitatis æternæ. Si pro suis peccatis, humiliatis, & miserationis, & orationis sacrificiis Deo suo vero immolare non negligunt. Hactenus Augustinus, cuius verba omnibus Regibus memoria mandanda merito Sapiens ille Rex Alphonsus apud Panormitanum (*g*) dicere solitus erat. Neque eorum oblitus videtur D. noster Rex Philippus II. qui Prudentis cognomen promeruit; cum vivens has virtutes, quas in verò & Christiano Principe Augustinus requirit, ad unguem explerit, & moriens, illa verba protulisse feratur: *Tu solus Dominus, Tu solus Altissimus: quibus prolatis piam animam exhalavit, quam jam Purgatoriis ignibus obrizatam, cœloque receperat, sunt qui ex aliquibus non contempnendis rationibus, ac revelationibus (*b*) tradant.**

21 Dispari à Juliani Apostata exitu, qui cum vivens, in Christum Dominum, Christiansque omnes tumidè, ac temerè rebellasset, moriens, ex vulnere, quod contra Persas gerebat, accepit, cava manu sanguinem hausit, atque eum in cœlum, veluti Christum conspiciens, concepit, perinde, ac sua cadis causam in eum referret; & ita blasphemò ore vociferatus, *Vicisti Galilee, vicisti, saturare Nazarene, perfidum spiritum missit, ut Sozomenus, & alii (*i*) commemorant.*

22 Ex quibus concluditur, solum Christum verum, & absolutum rerum omnium Dominum esse, & appellari mereri. Qui tamen pro maxima in gloriosam, atque immaculatam Virginem Matrem suam dilectione, idem ei nomen communicare voluisse videtur. Nam Maria, juxta sententiam D. Hieronymi (*k*), sermone Syro *Domina nuncupatur*. Et ad hoc respiciens Arnoldus (*l*) Carnotensis, sic ait: *Maria lingua Syriaca Domina dicitur. Christus Dominus, Maria Domina. Et licet ipsa se Christi profiteatur Ancillam; hoc servitutis genus, omni Regno sublimius esse intelligit: constituta quippe est, super omnem creaturam, & quicunque Jesu curvat genu, Matri quoque pronus supplicat, & filii gloriam cum Matre non tam communem judico, quam eamdem.*

EM-

(*b*) Senec. in *Thyest.*

(*c*) Ovid. 4. *Fast.*

(*d*) Horat. 3. *carm. Ode 6.*

(*e*) Valer. Max. lib. 1. cap. 1. §. 9.

(*f*) D. Aug. lib. 1. de Civit. Dei, cap. 24.

(*g*) Panorm. in lib. de diß. & fact. Reg. Alph. Neap.


(*h*) Moura de incant. pag. 162. Euseb. Nieremb. in tract. de caus. malorum publ.

(*i*) Sozom. Eutrop. & alii apud Baron. ann. 363. num. 56. camer. 1. subc. cap. 59.

(*k*) D. Hier. in Matth. cap. 1.

(*l*) Arnold. de laud. Virgin.

SUPERBORUM PRINCIPUM TYPUS.



*Vibrantem radios Salmonea, Numina Divum
Mentitum, & Superi tela trisulca Jovis:
Non tulit Altitonans furtiva sorte tumentem,
In cineremque adigit, Tartara in ima ruit.
Et dubitabis adhuc turgentia subdere magno
Colla Deo, quisquis Sceptra superba quatiss?*

COMMENTARIUS.

Amagis compescendam vanam terrenorum Principum gloriam, sive superbiam, opportunum duxi hanc ipsis Salmonei Regis Eliðe, sive fabulam, sive historiam, quam præsens Eunblema præfigurat, ob oculos ponere. Qui, ut plurimi Autores, & præsertim Hyginus (*a*) scripsit, Æoli filius fuit, Sisyphi frater, & in id stultitia processit, ut tonitrus, & fulmina Jovis imitari ausus, currunt rotas æreis canthis obmunitas, super pontem æneum, quem construxerat, agitaverit, & sedens in quadriga, immissoque in populum facibus, plures ex suis civibus neci dederit. Quousque, ob id à Jove fulmine iactus, temeritatis, tumiditatisve suæ justam penam persolvit. Et ut Hadrianus Junius ex Symmacho, & aliis (*b*) ostendit, causam fecit Adagio *Salmoneus alter*, quod paramæ specie usurpat, de supra modum superbo, & elato. Nec desunt qui autumno, quiddam pyri pulveris simile, quo hodie in Bombardis utimur, adinvenisse, quo Jovis fulmen imitaretur.

2 Et hoc est, quod tangit Valer. Flacc. (*c*) dum in sua Argonautica, inquit: *Salmoneus nondum illi furens, cum fingeret alti
Quadrifida trabe tela Jovis.* Et latius prosequitur Virgilius (*d*) de eodem in inferno poenas hujus superviæ luente, sic canens: *Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flamas Jovis, & sonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic investitus equis, & lampada quatiens,
Per Grajum populos, mediaque per Eliðis urbem
Ibat ovans, Divumque sibi poscebat honorem.*

B 2

(*a*) Higin. cap. 61. Junius Adag. 1. cent. 2. Car. Steph. in dict. Poit. & alii passim. (*b*) Junius inter Adag. Erasm. pag. 310. Hieron. Ma-

gus lib. 1. Misc. cap. 1.

(*c*) Valer. Flacc. lib. 1. Argon.

(*d*) Virgil. Eneid. 6.

Demens qui nimbus, & non imitabile fulmen,
Aere, & cornipedum cursu simularet equorum.
At Pater Omnipotens, densa inter nubila telum
Contorsit (non ille faces, nec fames tædis
Lumina) præcipitemque inmane turbine adegit.

3 Quæ verba putat Petrus Crinitus (*e*) mutatum fuisse Virgilium ex aliis Sallustii, de Mætelli Pii immodico luxu, atque libidine loquentis, & simili tonitruum imitatione. Quam & in Alladio, eodem suppicio, quo Salmoneus, effecto, refert, & sugillat Dionysius (*f*). Et in Chosroë Persarum Rege, post alios, Cedrenus (*g*) latè memorans, qualiter in ejusdem Jovis æmulationem, machinam fixerit, in qua cœli effigies, Astrorumque conversiones, cum sceptrigeris Angelis adstantibus, admirabili spectaculo cernebantur: Tum imbræ fluere, prænuncare fulgura tronitria mugire, ipse eminens in medio, quasi Deus humanus spectabat omnia. Anthemius quoque apud Agathiam (*b*), pariter fulgura, & tonitrua effingebat, excogitatis quibusdam collisionibus, complosionibusque rerum, quæ valde essent sonoræ, atque ita immenses quosdam fragores edebat, percellendo sensu aptissimos.

4 Solent enim Reges (ut ait Plutarchus (*i*) esse Deorum æmulatores, cum tamen vel Adagio (*k*) doceri possent, cum illis pugnandum non esse, & etiam olim Theognides Græcæ eamdem sententiam hunc in sensum protulerit:

*Nulli cum superis homini contendere fas est.
Pro jure banc litem, nemo probare voleat.*

Solamque eam æmulationem laudabilem, ut idem ipse Plutarchus (*l*) prudentissime docuit, quæ ad Dei imitationem: *Pro Sceptro Principi porrigit jus, & æquam, ac rectam rationem tenendam, non Fulmen, non Tridentem, quomodo nonnulli se pingi, ac fingi jubentes, stultitiam suam invide exposuerunt dum affectant ea, quæ consequi nequeant. Qui vero virtutem ipsius æmulantur, & honestate, humanitateque ipsum referre conantur; hoc studio eorum delectatus, auget, sua que eos æquitate, justitia, veritatem, ac mansuetudine impertit, quibus nihil est divinus: non ipsa perpetuas, atque æternitas: non ob tempus vite beatus est Deus, sed virtutis Principatu.*

5 Hactenus Plutarchus (*m*), qui vel solus pro nostri Emblematis Commentario sufficere posset, maximè si aliam ejusdem doctrinam addiderimus, qua, non minus prudenter, nos admonet tunc demum Principes in Deos eradere posse, cum se Diis humili, ut oportet, corde subdiderint. Exemplum in Magno illo Imperatore Gneo Pompejo proponens, cuius virtutem, simul cum æquali modestia junctam, post Pyratici belli lauream admirati olim Athenienses, istam in porta triumphi Epigraphem ejus honori inscriperunt, *Quatenus te hominem esse nosti, eatenus es Deus.*

6 Dispar sanè à Juli Cæsaris sui Antagonistæ ratione, cuius statuam in Zeusippi portici, ita positam scribunt, ut dextra fulmen tenens, aspectu torvo exultaret, quod quasi Jovem alium in Italia haberit se audiret. Quod fortè in causa fuit, ut qui fulmine gloriabatur, gladios posse vitare requiret.

7 Prout, Titanibus illis omissis, qui impetere cœlum tentarunt, in impio Domitiano contigit, qui, (ut jam diximus (*o*) sibi Dei appellationem asumpsit. In Diocletiano, compar morte confecto, qui primus adorari se jussit. In Caligula (*p*), quod Majestatem divinam sibi asserere cepit, & Jovis nomen, & caput adrogavit; in Commodo (*q*), qui simili statuæ, sive Coloso Herculis, proprio capite dempto, suum imposuit. In Juliano Apostata, impiè, ut suprà dixi (*r*), in Christum Dom debacchante. In Cleopatra (*s*) qua se Isim finiebat, sistrumque gestabat. In Cappaneo ab Euripide, & Statio Papino æquè decantato, ac deplorato, dum se, vel invito Jove, Thebana menia in primis scansurum, urbemque pervasum jaçaret. In Xerxe, qui Neptuno mari Deo compedes, ac flagella, & Soli tenebras minabatur. In Cyro, qui pari superbia usus, Gyndem amnem immense magnitudinis, rapidumque, in trecentos ac sexaginta parvos alveos divisit, quod in eo, cum ad Babylonicam expeditionem proficeretur eques Persa, una cum equo, absorptus esset. Addens, se ita castigaturum, diminuturumque esse amnem, qui Equiti suo se pervium facere noluerat, ut etiam prægnans foemina, sine labore eum trajectura esset (*t*).

8 Quibus & aliis relictis, sive ad Auctores rejectis, qui latius eorum deliria pariter, ac sus-

(e) Petr. Crin. de han. discip. lib. 2. cap. 10.

(f) Dionys. 1. antig. Sabell. lib. 6. cap. 9.

(g) Cedren. pag. 338. De hac machina Regum Persarum

Chrysolog. serm. 120. Cardan. de subtil. in lib. de artibus.

(h) Agath. lib. 5. Histor.

(i) Plut. in lib. de tranquil.

(k) Erasm. in Adag. Cum Diis non pugnandum, pag.

(l) Plut. in lib. ad Princ. in doc.

(m) Plutare. in vita Pomp.

(n) Christodor. lib. 5. Epigr. Græc.

(o) Sup. Embl. præ.

(p) Sueton. in Calig. cap. 22.

(q) Herod. & Spart. in Commod.

(r) Sup. Embl. 2.

(s) De Cleop. Savaro. ad Carm. Sidonij, pag. 68.

(t) Herod. lib. 6. Herod. lib. 1. & ex eo Fulgos. lib.

9. cap. 5.

piria, ob divinas puniones scribunt (*u*).

Nam si sacrilegos repetens ab origine prima,

Omnia paenarum percurre nomina possem,

Ante diem clauso componet vesper Olympo.

Non possum non Heliogabali peculiarem sermonem habere, qui currum condescens, quem Ienos traherent, *Cybelem* se nominari jubebat; & *Buccum* vocari, cum currui tygres injungeret, cui, ut inquit Baptista Fulgosus (*x*), potandi studio similior videri poterat. Et tandem in id audacie, sive recordæ, processit, ut omnes in toto terrarum orbe Religiones extinguere, seu abolere voluerit, ut Heliogabalus Deus unus ubique coleretur. Ob quæ scelera, Deos, hominesque ita irritavit, ut ab Equitibus suis, impetu in eum facto, occideretur, & quanto eos, qui ante Principatum gesserant, violata Religione superavit: tanto ipse aliis despæctior fuit, & in latrinis interemptus, ac per urbem primò, inde ad lupanar pedibus tractus, in Tiberim dejectus est, ut ex Lampridio & Herodiano in ejus vita colligitur.

9 Cui exemplo illud aliud Herodis Agrippæ, ex Josepho (*y*) & Eusebio (*z*), ut signandum adjicio, qui cum in publicum magno fastu, & apparatu ad ludos celebrandos processisset, à suis se tamquam Deum acclamari, & consulari passus est. Et quia impianum adulacionem non repressit, paulò post suspiciens, vidit supra caput suum bubonem funi extento insidentem, moxque ut sensit hunc esse calamitatis nuntium, ex intimis præcordiis indoluit, conversisque in amicos oculis, *En ego (inquit) vestra appellatione Deus, vitam relinquere jubeo, fatali necessitate coargüente vestrum mendacium, & quem immortalem salutasti, mos effertis.* Et huc loquutus, paulò post crescente dolore discriutatus, interierit.

10 Huic simile est, quod de Antiocho in Machabœorum historia (*a*) refertur, cui cum præ tumore mundus angustus videbatur, & undis maris pararet leges imponere, in graves incidunt plagas, ita ut de impii corpore vermes scaturient, terribusque sui fœtorem ferre non posset; & cum hinc coepisset in sui agnitionem venire, hæc in verba, licet sero, prorupit, *Justum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.*

11 Quod si objicias, Augustum Casarem, (ut Suetonius (*b*) narrat) Appollini nimis deditum, ejus aliquando, & nomen, & habitum præsumpsisse, & ita ornatum, inter convivas discubuisse, & inter sex puellas, totidem catamitos, alias Deos repräsentantes, cenare solitum esse. Qui tamen fœlicem, facilem exitum, & qualem semper optaverat, septuagesimo & sexto ætatis anno sortitus fuit. Audi eundem Suetonium recensem, hunc excessum summa tunc in civitate penuria, ac fame punitum. Acclamatumque esse postridie, frumentum omne Deos comedisse, & Casarem esse planè Apollinem, sed TORTOREM, quo cognomine is Deus quadam in parte urbis colebatur, & sine Auctore hos notissimos versus, hoc scelus, & dedecus exprobantes, in publicum prodidisse:

*Cum primum istorum conductxit mensa choragum
Sexque Deos vidiit Mall'a, sexque Deas:*

Impia dum Phœbi Cæsar mendacia ludit,

Dum nova Divorum canat adulteria:

Omnia se à terris tunc Namina declinarunt;

Fugit & auratus Jupiter ipse thronos.

12 Quamobrem magis hac in parte invidendum, imitandusque esse debet Philippus Mace donum Rex, qui Celio Rodigino (*d*), post Ælianum, narrante, cum aliquando ob partas victorias, & res fœliciter gestas elatus, se supra fortunam, Deorum instar esse cogitaret. Intel ligens postea, quid mali ex tanta superbia sibi imminaret, uni ex aulicis pueris id muneris injunxit, ut ad Solis exortum in suum cubiculum ingressus, inclinaret; *Rex memineris te non Deum, sed hominem esse, multis fragilitibus, erunnis, ac malis obnoxium, & expeditum.*

13 Nec minori continentia, sed magis facete idem insinuavit Antigonus ille senex, de quo Plutarchus (*e*) scribit, quod cum Hermodorus quidam in Poëmatibus suis Solis filium, Deumque ipsum prædicaret: *Nibil (inquit) in me ejusmodi agnoscit, qui lisanum meum portat.* Est autem lisanum, vas, exonerando, evacuandoque ventri, vel vesicæ accommodatum.

14 Et in idem tendit similis faciet Anaxarchi, cognomento Eu demonis, qui ut Ælianu s (*f*) refert, Alexandrum Magnum ridebat, quod seipsum Deum facere: cùm autem aliquando in morbum incidisset Alexander, & ei Medicus sorbitionem pararet, ridens Anaxarchus, di

(u) Hier. Cigler. in Hexametr. & pluribus exemplis re latis. Fulg. sup. Theatr. vit. hum. pag. 258. Petilius de Princ. lib. 2. cap. 2.

(b) Suet. in Aug. cap. 70.

(c) Suet. sup. Erasm. in Adag. Apollo Tortor, pa gin. mibi 161.

(d) Rhod. lib. 19. cap. 33. Ælian. de var. hist. lib.

8. cap. 15.

(e) Plutarc. in Apophthegm.

(f) Ælian. lib. 9. cap. 37.

14 xit: *At nostro Deo spes omnis in sorbillatione posita est. Nec minus facere eundem iriserunt Lacedemonii, dum à Græcis per literas petente, ut decreto suo ipsum Deum facerent, sic statuerunt: Quoniam Alexander Deus esse vult, esto. Hac voce stultam ejus ambitionem no-*

stantes, quod ea hominibus petierit, quæ Natura ei largita non fuerat, & putaverit ab iis posse creari Deos, qui ipsimet nihil aliud essent, quam miseri mortales.

15 Et de Menecrate Medico se Jovem mentiente, aliorumque Deorum comitatum sibi ascensenti, & qualiter ob hoc à Philippo Macedone de risu, sannisque traductus fuerit, lepidam historiam idem *Aelianus* (g) & *Athenaeus* (b) recenset.

16 Neque abest illud Regis Hunnorum Attilæ, ab Olao (i) Magno, & aliis (k) relatrum, qui licet trux esset, barbarus, & efferus, dum urbes Italæ expugnat, diripit, ac vastat, Patavii, Marulli Calabri Poëta carmen de laudibus suis conscriptum, in ignem conjici jussit, quia licentia Poëtica originem Attillæ ad Deos retulerat: arbitratus impudentem esse impudentiam, quod mortales homines se à Diis immortalibus originem traxisse configerent.

17 Qui ergo nostrum Salmoneum, & Salmonei similes imitantur, poenas similes pertimescant. Tuque, verus, ac melior Jupiter, noster Omnipotens Deus,

Fulmine fac subitè talia monstra peti.

18 Maneatque Regum omnium, ac Principum mentibus insitum, tyrannos, sacrilegos, priorum hominum persecutores, & celestis Numinis contemptores, vel æmulatores, etiam in hac vita scelerum suorum poenas dedisse, neque impunè superbiam, proterviamque eorum fuisse. Et Tertuliani (l) illud, ut elegantissimum, ita & certissimum esse: *Cælum debet Imperator, cælum capitivum triumpho suo invehat, cælo mittat excubias, cælo vestigalia imponat, non potest. Idè magnus est, quia cælo minor est. Etc.*

19 Quod etiam elegantissimi his, quæ sequuntur, carminibus Nathan Chyträus (m) à Philippo Camerario laudatus, comprehendit,

*Nemo minas Domini, Majestatemque tremendam
Contempsit frustra, quamvis vel maximus esset
Viribus, ingenio, eloquio, sceptrisque superbis
Cunctorum sub Sole hominum Deus inclitus ipse
Est verè justus iudex, vindexque malorum,
Iratus, buccisq; carvis, fastuque tumentum:
Cui nemo nimis est magnus, sapiensque, potensque;
Nemo nimis sanctus filiæ pietatis in umbra, Etc.*

20 Quemadmodum, è contrario, nullus fuit usquam, qui suæ in Deum pietatis, humilitatis, & submissionis, tam in hac, quam in alia vita cumulatissima præmia non fuerit consequens. Unde rectè Ambrosius Marlianus (n) caput sui Theatri Politici, in quo hac de re tractat, hoc Disticho claudit,

Regi Cœlicolum ves flectite colla potentes:

Tunc dabit omnipotens Regia Sceptra diu.

Propter quod & Scriptura dicit (o) Quanto magnus, humiliata in omnibus, & invenies coram Deo gratiam. Quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur. Et D. Bernardus (p): Bonus fundus Humilitas, in quo omne ædificium spirituale constructum, crescit in templum Dei. Bonus ejus major in majoribus, clarior in clarioribus. Quo enim celsior es ceteris, eò humiliata appare illius te ipso, Etc. Et eleganter in rem nostram Baptista Mantuanus (q):

*Scilicet omne Deum contra nitente superbum
Evanescit opus: sicut cum surgit in auras
Eruantis aquæ fluctus, mox vertice presso,
Decidit, & spumas alto demergit in anna,
Atque humiles inter sine nomine præterit undas.*

Et arridet illud Prudentii (r), qui in triumpho humilitatis contra superbiam, illam introducit, exprobrantem viæ insolentiam suam, his verbis,

*Desine grande loqui, frangit Deus omne superbum
Magna cadunt: inflata crepant: tumefacta premuntur.*

EM-

(g) *Aelian. lib. 12. cap. 51.*

(h) *Athen. 7. Dymnosoph. Junius in Adag. Nibil ad Medicorum arrogiantiam.*

(i) *Olaus in Attilia.*

(k) *Bonfinius cap. 15.*

(l) *Tertul. in Apolog. lib. 2. cap. 30.*

(m) *Nathan Chyträus in Viatico itineris extremis, ap.*

Phil. Camer. 3. tom. subces. cap. 3. in fin.

(n) *Marlian. in Theat. Polit. cap. 28.*

(o) *Ecclesiast. 3. 20. 21. Div. Hieron. epist. ad Cœtianum.*

(p) *D. Bern. lib. 2. de constid. ad Eugen.*

(q) *Mantuan. in carmin. contra superb.*

(r) *Prudent. in triumph. humiliat.*

REGES DEUS HABET QUASI PILAS.



*Vis divina pilam ludens jaculatur ab alto,
Et salit, & resilit: tollitur, atque cedit.
Tolleris in Cœlum, Princeps, cave culmina præceps.
Divinis manibus si es pila, ludus eris.*

COMMENTARIUS.

I **U**midis adhuc, & elatis Imperantium animis corrigendis, præsens hujus Emblematis pharmacum exhibemus, quo, ut appareat, Divina manus ostenditur, lusoriam illam sphærulam, quam Pilam dicimus, ex alto pro libito jaculantis. Qua suismet itib; cadere, aut surgere solet. Quod ex Menandri pyxide sumpsimus, à quo habuit Plautus (a), sic inquietus,

Enim verò Di nos quasi pilas homines habent.

Quod perinde est ac si diceret, *Versant nos, & ubi ipsis commodum est, male habent: ut Victorius (b), & Muretus (c) observant. Quorum hic ultimus alibi, copiosè disputans de misera rerum humanarum conditione, Plautum hic respectum habuisse putat ad illud Platonis (d), quo homines quasi oblectamentum quoddam Deorum censuit, non aliter atque ejus discipulus Aristoteles (e), dum ita hominem diffinivit, Homo est fortunæ ludus, inconstantie imago, corruptionis speculum, & mortis spolium. Et Herodotus (f), quatenus inquit, Omnia calamitosa res est Homo.*

2 *Æsopus quoque Phryx, ut Laërtius (g) ait, interrogatus quid agere Jupiter? Respondit, Excelsa deprimit, depressa extolit. Indicans, arbitrio, imò & ludibrio superni Numinis, res hominum sursum volvi, revolvique. Et similiter Juvenalis (h), humilium exaltationem, fortanæ jocum appellat, sic inquietus:*

*Quales ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quotiens voluit fortuna jocari.*

3 *Et omnes fortunæ actus ludi nomine donans Horatius (i), his verbis:*

Fortuna numquam perpetuè est bona.

Fortuna sævo leta negotio, &

Ludum insolentem ludere pertinax;

Transmutat incertos honores,

Nunc mibi, nunc alii benigna.

Et

(a) *Plaut. in capt. in Prologo.*

(b) *Victor. lib. 23. variar. lect. cap. 18.*

(c) *Muret. 16. cap. 15.*

(d) *Idem. Muret. lib. 1. de Repub. Platonis.*

(e) *Aristot. apud Stob. ser. 96.*

(f) *Herodot. lib. 1.*

(g) *Laërt. de vit. Phil.*

(h) *Juvén. satyr. 3.*

(i) *Horat. lib. 3. Od. 29.*

4 Et adhuc magis ad nostram pilam alludens, Pallas (k), quatenus dixit,
Vita hominum ludus fortunæ est, & miser error,
Inter pauperiem navigat, inter opes.
Atque pile in morem nunc bos ad sidera tollit,
Elatos, & nunc Tartara ad ima jacit.

Et Boëtius (l), qui ita fortunam loquenter, & sui ludum confidentem inducit: *Hec nostra vis est, hunc continuum ludum ludimus, rotam volubili orbe versamus infima summis, summa infimis mutare gaudemus. Ascende si placet, sed ea lege ne uti cum ludiceri mei ratio posset, descendere injuriam putes. An tu mores ignorabas meos?*

5 Unde etiam à Salomone (m) Deus in orbe terrarum ludere dicitur. Quod his quoque verbis Ovidius (n) expressit,

*Ludit in humanis divina potentia rebus
 Et certam præsens vix babet hora fidem.*

Et Adagio occasionem præstissime videtur, quo Homo Dei ludibrium, vocatur, & ut in ejus explicatione inquit Hadrianus Junius (o), *Fortunæ jaſtatio significatur, quæ pile in modum, nunc evehit in altum, nunc solo allidit mortales, prout & apositissime dixit Ammianus Marcellinus (p), inquiens: Versabiles Fortunæ motus ludunt mortalitatem: nunc evehunt quosdam in sydera; nunc ad Cocyti profunda mergentes. Et Portius Latro (q) apud Senecam Patrem: Aurum & argentum ludibria fortunæ, quæ inter jocum ipsis dominis veniunt.*

6 Quam sententiam, nescio quo jure, vel ratione Henricus Stephanus (r), detestabilem plañe, atque execrandam appellebat, cum prædictis divinis, & humanis auctoritatibus fulciatur, & in eamdem incidat illud D. Gregorii Nazianzeni (s),

*Ludus Homo (posita verum formidine dicam)
 Numinis est, quales luditur orbe frequens.*

Ubi posteà, cum larvis homines comparat, quibus in Comædis ludentes, varias figuræ representamus; & tamen post mortem detractis, omnes æquales esse comperimus. Quod consonat cum Disticho illo ex Græco incerti Auctoris traducto:

*Scena est hæc vita, & minus, vel ludere disce
 Seria postponens, vel cruciare nimis.*

7 Sinesius (t) quoque id ipsum, & quidem rectè dictum, absque aliqua hæsitatione his verbis affirmit: *Reſtèque dictum mibi videtur, quid homo ludibrium sit Dei, ludentis semper in rebus mortalium; & quasi aleam jacentis.*

8 Philostratus (u) item in Scopeliano Sophista, loquens de ejus patre, qui exhaereditato filio, coquum hæredem scripserat, subjicit: *Ut vel ex hoc facto intelligere possimus, homines, non Dei solùm, sed alterum quoque alterius esse ludibrium.*

9 Et Seneca (x), his conueniens, & eadem Pilæ similitudine utens, quæ in hoc nostro Emblemate pingitur, sic habet: *Ut in orbe, ac pile nibil est imum, nibil summum, nibil extrellum, nibil primum, quia motu ordo mutatur, & que sequebantur, præcedunt, & que occidebant, oriuntur, omnia quomodocumque jerint, in idem revertuntur. Ita in homine existima fieri, cum illum in multa mutaveris, unus est.*

10 Janus etiam Douza (y) ad idem alludens, hoc carmen scripsit:

*Non secus, atque pilas homines (Francus ne sit an Sas
 Nil refert) raptor Noruegianus habet.*

11 Et adhuc, magis in nostri Emblematis terminis, in doctis suis ad Plautum præcidaneis, verba ejus, quæ modò retulimus, non tam ad lusoria has pilas (de quarum ludo, differentiis, origine, & etymologia plura post Plinium (z), & Martialem (a), aliqui recentiores (b) scribunt) referenda esse putat, quæ ad viriles illas muliebresvè effigies (Pilas etiam vocatas) quæ ex lana, vel feno fieri solebant, & ut Festus (c) ait: *Compitalibus suspendebantur in Compitis, quid bunc diem festum esse Deorum inferorum, (quos vocant Lares) putarent. Quibus tot pile, quot capita servorum, tot effigies, quot essent liberi circa Compita habitantes, ponebantur, ut vivis particeps circumponebantur, ac proinde scitè Plautus dicere potuit, Diis, instar eorum, homines esse. Quo sensu pannosos homines, & parvæ aestimationis, Pilas vocare solebant, ut Rodiginus (d)*

(k) Pallas apud Natal. Com. in Mytol. pag. 340.

(l) Boet. de consol. lib. 2. prosa 2.

(m) Proverb. 8. 31.

(n) Ovid. lib. 4. de Ponto.

(o) Junius inter Adagia Erasm. pag. 264.

(p) Marcell. lib. 14.

(q) Port. Latro apud Senec. contr. 1. lib. 2.

(r) Henric. Steph. in prefat. ad Gnom. Comic. Græc.

(s) Nazianz. in carm. de homini vilitate.

(t) Sines. in orat. de provid.

(u) Philost. in vitis Sophist.

(x) Senec. lib. 5. de benef. cap. 8.

(y) Jan. Douza lib. 1. rer. Oland.

(z) Plin. lib. 7. cap. 56.

(a) Martial. & ejus expositoris, lib. 14. epigr. 45. & seqq.

(b) Souterius de Ludis vet. lib. 3. cap. 4. Pantoja de aleator. ex pag. 71.

(c) Fest. de verb. sign. verb. Pila.

(d) Rhodig. lib. 16. cap. 11.

advertisit, & ex illo Martialis (e) in Laurum Epigrammate constat; ubi hunc, qui in florenti atate magnus pile lusor fuerat, postquam ea ingravescente, posse ludere desit, *Primam Pilam facut esse inquit, id est, ad nimiam paupertatem, & laceratam, ac pruinosam vestem redactum.*

Et iterum ex alio in Candidum, ubi de sua togæ lacerie loquens (f), sic ait:

At me, quæ passa est furias, & cornua tauri,

Noluerit dici quam prima pila suam.

